LIBER
DE BONO VSV CVRIÆ,

Compendio ſcriptus

PER R. P. F. IOANNEM à IESV MARIA,

Carmelitam Diſcalceatum Calaguritanum,

Cõgregationis ſancti Eliæ, Præpoſitum Generalem.

Superiorum permiſſu.

ROMÆ

Primùm apud Iacobum Maſcardum,

M. DC. XII.

Deinde CRACOVIÆ, apud Andræam Petricouium, S.R.M. Typograph.

Anno 1614. recuſus.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiß: P. M. Sac. Pal. Apoſt.

Cæſar Fidelis Viceſg.

Ego Balthaſar Anſidæus de mandato Reuerendiſſimi P. Magiſtri Sacri Palatij Fr. Ludouici Yſtella, legi librum De bono vſu curiæ, compendio ſcriptum, à R. P. Fr. Ioanne à Ieſu Maria Carmelita Diſcalceato, & nihil in eo inueni, quod aut bonis moribus, aut Fidei Catholicæ aduerſetur. Die 10. Iunij 1612. Romæ.

Balthaſar Anſidæus.

Imprimatur,

F. Damianus à Fonſeca Mag. & Socius Reuerendiſſimi P. Fratris Ludouici Yſtella Sacri, & Apoſtoli Palatij Magiſtri Ordinis Prædicatorum.

ILLVSTMO AC REVMO D.D.

IO. GARSIÆ CARDINALI MILINO.

F. Ioannes à Iesu Maria S.

MVLTIS certè nominibus tibi nuncupari debuit, Card. Illustrissime, libellus hic de bono vsu curiæ à me non tam ex aliorum sententijs, quàm ex propria meditatione conscri

ptus. Primùm quidem, quod ego calamo perſequutus fui, tu præclariſſimis meritis exhibes, dum nec purpura, nec populari aura, neque prece, neq; pretio à recto eccleſiaſtici principis ſtatu, bonoq́; curiæ te admirantis vſu flexus, inter ſecundos euentus modeſtiſſimè officium exples: vt qui te intuetur, nauem medio in pelago validis ventorum flatibus impulſam, illiſiſq́; fluctibus ver-

bera-

beratam, ſed iactis anchoris immotam cernat. Mox officio coronidem appoſiturus pietatem, vt mihi ſat exploratum eſt, apprimè colis, dum per grauiſſimas functiones, quas obis, id inprimis eniteris, vt Dei gloria amplificetur, Eccleſiæ bonũ augeatur, animiq́; tui ſalus tuta conſiſtat. Denique fauſto quodam præſagio Congregationis noſtræ protectionem auſpicatus es, multipliciq́; be-

 neficio

neficio nos passim deuincis, nihil non moliturus, vt disciplina nostra radices altas defigat. Capita tria, tanquam perennes laudum fontes leuiter delibaui, quibus euinco, debuisse me, scripto huic, & publicis rationibus, & priuata gratitudinis caussa nomen tuum præfigere: quod spero equidem, scriptoris nebulas luculentissimo suo splendore dispellet. Munus ergo meũ Cardinalis Illustris-

sime

ſime humaniter accipe, ad rem paruam ex grandi voto perpende: legeq́; per horas ſucciſiuas, vt quę breuiter comprehenſa hinc excipis, in Reip. bonum, qua ſoles pietate, ac prudentia deriues, & alios ad imitationem auctoritate tua planè maxima, exemploq́ue efficaci permoueas. Clementiſſimus Deus, ad Eccleſiæ bonum te, Cardinalis Illuſtriſſime, diu ſeruet incolumem.

LECTORI.

DIGESSI, Lector candide, quæ ad bonum curiæ vſum pertinere cenſui, quàm breuiter, ac perſpicuè potui: vt exiguo labore poſſis caſtam haurire doctrinam, quæ ad expungenda vitia, parandasq; virtutes Christianæ curiæ conſentaneas conferat. Scriptum in partes diſcreui tres. Prima modos varios boni vſus curiæ, ſecunda aliquot ad pietatem colendam ſelecta conſilia, tertia internos virtutum actus complectitur. Ne pigeat, vel pauca hæc lectitare, atq; recolere: quæ abſq; tædio vllo, non legi modò, ſed memoriæ quoq; imprimi poſſunt, vt afflante Deo, ad praxim deriuentur. Precor, quàm impensè poſſum, diuinam maieſtatem, tibi proſit labor hic modicus, quem S. R. E. cenſuræ ſubijcio.

INDEX.

PARS PRIMA.

De modis boni vsus Curiæ.

Curia

PARS SECVNDA.

De Consilijs ad vitam piè instituendam.

Consi-

PARS TERTIA.

De Virtutum actibus internis.

Actus

PARS

PARS PRIMA

DE MODIS BONI VSVS CVRIÆ.

Bonus Curiæ vsus quis sit.

CAPVT I.

BONVS Curiæ vsus is est, qui legitimus, scilicet, qui legi harmonicè consentit. Lex autem cùm sit multiplex, diuina primùm, mox humana spectanda, vt aulicus ad ius lege vtraq; præscriptum, tanquam ad rectam lineam actus exigat suos, valideq; propulset quicquid lege interdictum est. Quod sanè præsta-

bit, si affectum repurget, verba trutinet, actus circumspectè obeat, appositè ad curiam, vel aulam in qua versari constituit. Res non oscitãter accipienda, cùm per se honesta sit, pariatq; bona quamplurima quæ mortales suauiter afficiunt, ac seruet tutam inter discrimina conscientiam, quod hominem Christianum, idoneumq; æternę salutis æstimatorem præsertim, vrgebit. Profectò nemo satis mentis compos aliquod vitæ institutum, nisi præmeditatus aggreditur: & quidnam sit, quid honesti, vel commodi referre poßit, accuratè perdiscit. Quocirca mirum est, plerosque curiæ sectatores, neq; nosse instituti sui rationem, neque quid inde boni proueniat, velle dispicere. Erunt fortaße permul-

ti, qui curiæ sinus, angulos, flexus, ac reflexus explorent, sibique videantur omnia percallere, ac derideant alios, quibus curia Cretensis labyrinthus est, quem sic descripsit ille:

Vt quondam Creta fertur labyrinthus in alta,
Parietibus textum cæcis, iter, ancipitemq́;
Mille viis habuisse dolum, qua signa sequendi
Falleret indeprehensus, & irremeabilis
error.

Hæc aliis incognita sibi iam perspecta non pauci iactabunt, cùm tamen Christianum curiæ vsum vix norint, quem penitùs nosse debuissent.

Quàm sit è Repub: bonus curiæ vsus. Cap: II.

CVria pars regni lectissima, & flos nobilitatis, litteraturæ, ac industriæ pulcherrimus est. Quocirca bonus curiæ vsus

inter potissima Reipub: bona recensendus, quippe qui ad pręcipuam Reip: partem expoliendam, perficiendamq; pertineat. Sanè qui perspicacitate ingenij, generis claritate, opibus, ac potentia excellunt, ad curiam æquè ac mercatores ad nundinas, mira celebritate cõcurrunt: qui si ad legis normã, conatus suos metiri assuescant, salus publica multis quasi propugnaculis astruitur, secùs multis agminibus hostium infestatur. Nimirùm quò subtilius ingenium, opulentia, potentiaq; amplior, eò, si exorbitet, Reip: oppugnatio acrior, & ruina funestior est. Non abs re pius contemplator hoc loco vim lachrymarum effundat, cùm pateat esse non paucos, qui Reip: munimenta esse possent, & tamen

men abusu curiæ nihil grande moliuntur, sed salutis publicæ quasi arcem euertunt, obijciuntque pijs oculis ferale spectaculum, quale olim in excidio Hierosolymæ: *Quando luxit antemurale, & murus pariter dißipatus est.*

Quàm sit rarum curia benè vti.
CAPVT III.

CVria meliores solet recipere, quàm efficere: accedit enim iuuentus ingenua, natalibus in vrbibus piè, ac liberaliter instituta, pauloq; post delibatis vitiorum irritamentis illecta, malitiæ plurimùm haurit, neq; spicula exitialia palatino melle delibuta perhorrescit. Pietas languet, prior disciplina dediscitur, & praxis quædam argutijs, captionibusque

ad aucupandos honores, & cō-gerendas opes intenta, ſucce-dit. Congruit altiore quodam ſenſu poëticum illud:

Pro molli viola, & pro purpureo narciſſo,
Carduus, & ſpinis ſurgit paliurus acutis.

Contagium eſt, quod licenter ſerpit, vt rarò è plurimis pau-cos inuenias, quos curia mini-mè corruperit. Etenim quic-quid de vitijs alijs in callos du-reſcentibus aſſeratur, qui inter aulicos pietatem colere viden-tur, paſſim conqueruntur, ſe velut in captiuitatem abductos nimis dura ſeruitute torqueri, vix vno vel altero, ſat interca-lato ſuſpirio in cælum cor at-tollere, totos ſe Oceani cuiuſ-dam procellis obrui, paſſio-num indomitarum motibusque concuti, præcipitesque ad mundi oblectamenta ferri. Nolo au-

tem alios huius veritatis aſſertores accire, quando ipſi ſponte teſtes accedunt. Ergo iaculis in curia confertim ingruentibus, quemadmodum in prælio, plumbeo nimbo è fiſtulis exploſo non lædi, per quam rarum eſt: optandumq́; vt curia tales dimittat, quales admiſit, tametſi non omnibus integritatis numeris abſolutos. Quòd ſi quis melior euaſerit, porrò virorum illuſtrium catalogo adſcribendus eſt.

Curia piè vtendum. CAP: IV.

NOcet grauiter pietatis obliuio, vt liquidò perſpicitur, ſi aulicos duos, vnum è florentiſſima aliqua Chriſtiana curia, alterum è media Sinarum regia petas, & vtriuſque ſtudia, conatus, actus ad bilancem ex-

pendas. Profectò ſi Chriſtianos aulicos plurimos roges, quorſum curiam petant, vel frequentent, veroſimile videtur, te interrogationibus iteratis' nihil aliud expreſſurum, quàm quod Sina ethnicus reſponderet; ſe videlicet curiæ aſſueſcere, vt à principibus opes, honoreſque recipiant, neque ſe ad labores, quos ſuſcipiunt, vllo cæleſtis regni ſtimulo excitari, ſi vera fateri debeant. Cui ſanè veritati fides facilè habebitur, ſi contemplemur, quàm ipſi lentè afficiantur, vbi abſq; mercede, ſolo pietatis intuitu negotia gerenda ſuccurrunt. Si ergo Chriſtianus aulicus ſola temporalia bona in curia molitur, quo ex capite ab ethnico differt? Adeò ne deformis ſit, qui Chriſtum nouit, vt ab ethnico, quod ad

mores attinet, ægrè possit discerni? Minimè mirandum, si teterrimis vitijs fœdetur, qui parùm piè vitam instituit. Etenim meditatio hæc, si aulicus prudenter agat, id saltem efficiet, vt se introspiciat ipsum, apertéque dignoscat, se Christo iudici neglectæ pietatis excusationem nõ posse prætexere, dum conscientia teste, ethnico alicui iurisconsulto verborum venditori, fluxarum diuitiarum, & honorum exquisitori non antefertur. Opto autem, ne sui cognitio ieiuna sit, sed affectum excitet, vt omnino statuat, velle se, quicquid agat, in Dei gloriam referre, officiumq́; quo fungitur ita demum explere, vt opes, & honores, quibus ad vitam ducendam indiget, Christiano sensu ad

animæ ſalutem dirigat, ſerioq́; decernat, nihil prorſus admittere, quantumuis honorificum, & ſplendidum, quod cum diuina lege non aptè cohæreat. Cõſilium hoc, in dies ſingulos ſummo mane recolendum.

Curia parcè vtẽdum. CAP: V.

APoſtoli ſenſui congruunt, 1. Cor: 7. *qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur:* quod quàm ſit rationi cõſentaneum, efficaciſſima ratio ab ipſo Apoſtolo ſubiecta peruincit his verbis: 1. Cor: 7. *Præterit enim figura huius mundi.*

Porrò amentię argumentum eſt, vmbram fugaciſſimam inſequi, nedum velle apprehendere. Inſanum eſt, rotæ, quæ ſemper vertitur, inſidere velle. Quid ergo opinandum de ijs,

qui adeò ſe curiæ pelago im-
mergunt, ac ſi eſſent perenni-
ter victuri, omniq́; bono in re
omnium incõſtantiſſima tran-
quillè fruituri? Profectò error
hic homine Chriſtiano indi-
gnus videtur: quomodo enim
ad curiam cæleſtem feſtinet,
qui mentem humi defigit, &
incredibili ſollicitudine cadu-
ca bona venatur? Quòd ſi cæle-
ſtia bona, quæ non cernuntur,
ſegniter moueant, cur aulicus
non conſideret, neq; pij, neque
cordati viri eſſe, rei multis &
mæſtis caſibus obnoxiæ ſtudio
auidè ſeipſum addicere, & per-
ſeueranter inſiſtere? Non. fi-
dendum cœptis apparẽter fau-
ſtis: *2. Reg: 18.* Abſalonem
quippe ad tubæ clangorem ab
vniuerſo Iſraële ſtipatum, ira
Dei capillorum laqueo è quer-

cu suspendit, lætaque principia
penè contiguum funus exce-
pit. *Esth: 7.* Quid non lætum
ab Assuero potentissimo Persa-
rum rege Aman sperasset? &
tamen è toro regij conuiuij, vbi
fuerat honorificentissimè acce-
ptus, ad patibulum probrosè
pertrahitur. Sanè permultos
Absaloni, & Amano similes
curia intemperanter vtentes,
scopulis illisos, ætas quoq; no-
stra palàm ostentat. Curiæ vo-
luptas non absimilis est gene-
roso vino, quod, si sobriè hau-
riatur, prodest, si immoderatè,
& corpori nocet, & menti, cu-
ius iudicium intercipit. Parcè
ergo curia vtendum est.

Curia prudenter vtendum.
Cap: VI.

CVria prudenter vti dicen-

dus, qui

dus, qui apposité ad finem vtitur, iuxta dotes animi, quibus pollet: prudentia quippe in eo potissimùm versatur, vt apta fini media præscribat. Aulicus ergo ijs duntaxat manum admoueat, quibus explendis, pro ingenio, scientia, & industria, idoneus est: neque audacter ea tentet, quæ nequit absoluere. In ijs autem, quæ pro captu suo idoneè præstare potest, ne metam excedat: sed obseruet quousque pertingendum sit, vt tantundem studij, operæúe collocet, quantum ad metam attingendam sat esse censuerit. Est à secretis, est causarum auditor, est iudex, satagitq́ue ijs officijs honestè persungi, vt ad vitã decenter agendã, redditus annuos demũ acqrat. Ne sinat ergo

ſe auri ſplendore capi, vt abſq; modo locupletari pertendat: quid enim ſtultius, quàm procurrere, vbi ad locum quieti deſtinatum velox curſor acceſſit? Et quidem prudentiam hanc lux naturalis commendat: ceterum altior eſt Chriſtiana prudentia in primis retinenda, quæ apertè docet, niſi addatur cupiditati modus, viam cæleſti regno intercludi: quomodò enim per viam ſublimem, arctam, confragoſam, vir oneratus immoderatis ponderibus aſcendet? Grauia onera detrectanda, vel excutienda ſunt ab aulico, qui ſalutis æternæ viam carpere cõſtituit, quæ iuſtorum prudentia eſt.

Curia patienter vtendum.

CAPVT VII.

Nullus

NVllus omnino ager vrticarum, & tribulorum, ac curia mœroris, & grauium affectionum ferax eſt. Repulſæ, ſpes crebrò fruſtrata, ceterorum promotio cum dedecore proprio, negotiorum dilatio, vel infeſta expeditio, ſucceſſusque varij votis aduerſi quaſi totidem horrentia ſpineta videntur, quibus animi punguntur, ac lacerantur. Quid verò ſubtexam de curis innumeris, quæ cor lancinant, atque peruellunt? Quoties noctes ducuntur inſomnes, dum cor ſollicitudine nimia palpitat, atque ſubſultat? Porrò anxietas hæc adeò ſolet ingraueſcere, vt viros quoq; illuſtres exanimet, quòd principum fortaſſe audientia, non ita grata contigerit. Cùm ergò curia tot vepres, ſenteſúe

refundat, neque animus poſſit læſionis ſenſu carere, appoſitum conſilium erit, vt ſe patientiæ clypeo contegat, quo immiſſos aculeos excipiat, vel etiam retundat. Cõſideret nullum eſſe vitæ, vel togatæ, vel armatæ inſtitutum, quod aduerſis caſibus non infeſtetur; exemplarq́; noſtrum Chriſtum intueatur, in quem Hieroſolymorum curia tanquam phrenitide correpta inſaniuit; enitaturq́ue inculpatè pati.

— *Hic murus aheneus eſto.*

Curia comiter vtendum. CAP: VIII.

PRodeſt maximè ad omne genus hominum ſibi conciliandum comitas, quæ in agendo ſuauitas quædam eſt, qua aulicus omnium ſuffragi-

is, & ſibi, & alijs vtile, ac delectabile bonum acquirit, vt ei congruat celebratum illud:

Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci.

Si enim commendatur, qui aliis vtilitatem, & voluptatem affert, cur non, qui & alijs, & ſibi? At comitas non confert modò ad excitandum, ſed ad conſeruandum quoque aliorum erga nos affectum, quæ certè ſecunda non minor, quàm prima laus eſt, iuxta illud:

Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri:
Caſus ineſt illic, hic erit artis opus.

Etenim doctrina hęc ciuilis admodùm eſt, quæ & candidatis ethnicis, honorum & opum poſtulatorib⁹ placuit: ceterùm aulicus Chriſtianus ita eam debet moderari, vt affectationem

ethnicis vsitatatam excludat. Quocirca cauendum, ne in muliebres modos degeneret, sed absque asperitate, ac duritia, virili sinceritate temperetur: quam ad libram gestus, & verba perpendenda. Grauitas, quę comitati permista in principibus laudi vertitur, in aulicis parcè laudatur: modicè tamen adhibita non videtur carpi debere.

Curia leniter vtendum.

CAP: IX.

LEnis vsus idem ac mitis est, qui in eo potissimùm versatur, vt iram comprimat, externeque nulla perturbati animi signa, sed trànquillum vultum exhibeat. Qui profectò adeò est ad animos permulcendos efficax, & ad negotia gerenda opportunus, vt quãtumuis prolixo sermone satis ex-

primi nequeat. Habet ſanè vir mitis vim quãdam animorum victricem, cui duriora ſaxis corda concedunt: creberrima quippe experimenta conuincunt, manſuetudine ferociam ipſam leniri, vt quod intumeſcente mari, & ad mollem littoris arenam ſeſe remittente, cum voluptate cernimus, hoc in homine, qui excanduit, in alium mitem incurrente miremur, vbi hominis ingenium ira poſita quieſcit. Nimirum, vt morum aſperitas hominis ingenio diſplicet, ita lenitas placet, atq; dulceſcit. Hinc credo equidem, negotiorum geſtores, dum virum mitem conueniunt, ei hærere, ab eo nunquam recedere peroptant, cùm è contrario iracundum hominem exhorreant, atque refugi-

ant. Naturæ nempe ductu res aſperas, aculeataſque attingere formidamus; molles, teneraſúe non abſque voluptate contrectare conſueuimus. Verùm aliquid natura ſublimius pius aulicus debet eniti, qui Christum veneratur. Sanè Chriſtus, quod Auguſtinus obſeruauit, in Pſal: 54. *Domuit orbem non ferro, ſed ligno.* quaſi luculentius diceret, à Chriſto prædura mortalium pectora domituro electum fuiſſe modum quendam agendi non ferro armatum, ſed manſuetudine mollitum, atq; ita demum regnaſſe, quod iuxta lxx. interpretum verſionem diuinus Pſaltes cecinit in hæc verba:

Regnauit à ligno Deus.

Si ergo animorum conditor animis imperaturus expedire

censuit, vt non ferro cæderet, sed cæsus, & ligno affixus mitesceret; certò sibi aulicus persuadeat, se aliorum animos, quò velit, flexurum, dulcissimoque imperio alijs dominaturum, si exemplo Christi mitis esse consueuerit.

Curia modestè vtendum. CAP: X.

AVlicis peropportuna est cultura modestiæ, dum inter æquales agunt, sed dum principes cõueniunt, est apprimè necessaria; ijs verò potissimùm, qui familiariter admittuntur, qui principum humanitate abuti solent, donec à tædio affectis repelluntur. Quocirca bonus aulicus, ne tunc quidem modestiæ obliuisci debet, cùm singularia amoris signa deprehendit.

hendit: quinetiam tunc minus decet audere: tantùm abest, vt decorum sit importunis, aut immoderatis petitionibus satis liberales principum animos premere, quod à nonnullis tentari solet, vbi lætos principes intuentur. Ceterum grauiter errant: Licentia quippe, non audacia tantùm, plerosque deiecit. Accedit huc iniqua rerum æstimatio, dum importunus postulator fidentiùs, quàm par sit, res parùm decoras, vel interuentu gratia valentium extorquere contendit: vt Adonias, qui Bethsabeam Salomonis matrem precatus est, Abisag Sunamitidem nuptui sibi tradi, à Rege Salomone peteret: cui Salomon: 3. Reg: 2.

Quare postulas Abisag Sunamitidem Adoniæ?

Postula ei & regnum. Et paulo post:

Viuit Dominus, quia hodie occidetur Adonias.

Hic exitus intemperantis aulici est. Oportet ergo affectui imperare, & tam in postulatis, quàm in sermone, & vultu, ceterisque omnibus, coram principibus modestissimè versari.

Curia non superbè, vel ambitiosè vtendum. CAP: XI.

SVperbiæ vitium curiæ familiare est, vbi quisque in altiora conscendere, merita sua cum aliorum meritis conferre, ac fortasse anteferre contendit. Quapropter animi demissio, quasi præsentaneum tanti mali remedium exquirenda est, vt neque actu, neque verbo quis alijs videri certet, quod re vera

non eſt, non doctior, non prudentior, non ſanctior. Tantum quippe abeſt, vt ijs artibus claritas nominis paretur, vt ea potius ſit trita ſucceſſuri dedecoris via, quàm pleriq; aliud affectantes emenſi ſunt. Porrò & ad mortalem quoq; vitam pertinet oraculum illud: *Qui ſe exaltat humiliabitur.* Nam præter antiquas tragœdias, ætate quoque noſtra, curia ipſa nonnullos parùm humiles explosit. Superbia enim capitalis diuinę gloriæ inimica, & maieſtatis ipſius infinitę contemptrix eſt, cui proinde rependitur vltio illa: 1. Reg: 2. *Qui contemnunt me, erunt ignobiles.* Oporteret profectò ſuperbos, honorum ambitores fide ipſa, quam profitentur, vrgere. Si enim aliis præponi geſtiunt, quid cogitant?

quanam ratione consultant? Christus palàm commendauit postremos accubitus, tanquam gradus, quibus in primos ascenditur. Si ergo hæc parãdi splendoris via Christo assertore creditur, quomodo in primas sedes validis conatibus, vanisque propriorum meritorum encomijs feruntur? Incassum seipsos curis, & laboribus conficiunt, vel enim non efferuntur quò cupiunt, vel elati deturbantur, vt verum probetur effatum illud: Eccl: 10. *Sedes superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis.* At humiles, & mites, tametsi syluas, & dumeta pererrent, ad honores amplissimos euocantur, sicut scriptum est: Psal: 77. *De post fœtantes accepit eum, pascere Iacob seruum suum, & Israël hæreditatem suam.*

Curia castè vtendum.
CAP: XII.

SOrdet Deo, sordet & curiæ aulicus intemperans, seque proinde ijs honoribus, & præmijs, quæ conquirit, reddit ineptum: neque enim credi potest, hominem libidinosum fore negotijs gerendis idoneum: tantùm abest, vt ad præfecturam censeatur eligendus, qui ea infami nota fœdatur. Iam verò peiùs audiret, qui principum auribus aliquid impurum suggereret, non absimilis proceribus Ægypti, qui Saram Pharaoni à forma cõmendarunt, sicut scriptum est: Gen: 18. *Laudauerunt eam apud illum: & sublata est mulier in domum Pharaonis.* Absit à Christianis aulicis impudentia, & labes, quæ vix

vnquam

vnquam abstergitur. Conscientiæ primùm, deinde nomini consulant suo, & impuritatis occasiones perquàm sedulò vitent. Corpus vegetum studio, labore, ieiunio eneruandum, ne animus sordidæ voluptatis illecebra captus intereat. Taurus iugo minimè assuetus virentia prata licenter oberrat, neq; cogitat se pasci ad securim. Securior est bos lassus, & addictus aratro. Ergo aulicus æternæ salutis memor iugum Christi subeat, & inferorum tormenta formidet.

Curia frugaliter vtendum.
Cap: XIII.

BIfariam in hoc genere peccari posset, & quotidiano cibi, potusque excessu; & fortuito, frequentiq; conuiuio ni-

mis lauto, ac ſumptuoſo. Suppetit occaſio multiplex, vbi aulicus, vel domi, vel foris irritatur, vt abutatur menſa ad voluptatem, qua mentem hebetat, & corpus obtundit. Finitimum veneri vitium, quin & illius origo eſt, ſimiliſque infamię geſtat inſcriptum. Homo quippe ſatur, & penè temulẽtus, cuius, vt Apoſtoli verbis vtar, Phil: 3. *Deus venter eſt*, neq; diuino cultui, neque Reipub: vſui, neque ſibi ipſi putatur idoneus. Nemo illum amicitia dignatur ſua, nemo ad conſilium accerſit, nemo illi ſecreta credit, nemo ei quicquam agẽdum committit: & quaſi mentis impos, à viris cordatis reſpuitur, atque contemnitur. Ergo temperanter agendum, præſcribenduſq; menſæ modus, quo ita corpus

alatur, vt animus minimè grauetur, ſed capite libero, inter epulas quoq; medias de rebus propoſitis poſſit ferre iudiciũ.

Curia non inuidè vtendum. CAP: XIV.

FRequés nunc prouiſa, nunc inopinata curiæ proſperitas aulicos malè vexat. Secundus vnius hominis euentus permultos alios eiuſdem boni cupidos, tanquàm iaculum fatale percellit. Ægrè quippe fertur, vt qui ante dies paucos æqualis erat, nunc ob altiorem dignitatem demiſſius honorandus ſit ab eiuſdem honoris riualibus, mœſtis, & ſpe deiectis. Ex hac graui animi affectione oritur multiplex malum, ſed illud creberrimum, vt aulicus ea peſte tactus difficulter admo-

dùm de alijs honorificè loquatur. Quin etiam eò procurrit affectio, vt quæ in aliis planè grandia videntur, tenuiter probet, aut etiam ita disputet, vt opinio de aliorum meritis concepta decrescat. Semper scilicet pungitur, satagitque alios deprimere, ingloriosq́; arguere, ne nomen sibi inuisum celebretur. Christi charitas huius veneni antidotum est: quocirca Christianus aulicus aliorũ merita æstimare, laudibus efferre, imò & augere debet, si officium velit explere. Consideret nequicquam se torqueri aliena claritate, quam nequit obnubilare, nedum extinguere: seq́ue ipsum infeliciorem fieri, quò dolor alieno bono excitatus acerbior est: Satiusq́; esse diuinam prouidentiam venerari,

velleque omnino quod à Deo conſtitutum eſt. Quod ſi diuinis rationibus non cedit animus liuore tabeſcens, parcat ſibi ſaltem ipſi, ne tam diris vulneribus ſaucietur. Conſulat ſaltem exiſtimationi ſuæ, quæ in diſcrimen adducitur, quoties ſigna prodit inuidentiæ, quæ diu celari nequit. Dan: 6. Ne ſe præcipitet more Satraparum illorum, qui Danielis gloriam ferre non valentes, à Rege Dario ſententiam mortis extorſerunt, qua demum ipſi capti ſunt.

Curia ſine detractione vtendum. CAP: XV.

NIhil in curia frequentius, quàm detractio modò tecta, modò detecta, quæ parùm pijs aulicis incredibilem volu-

ptatem ingenerat. Vitium eſt infame, arguitq́; animum minimè generoſum, qui ſibi temperare neſciat. Omnia peruerſè interpretatur, omnes etiam inculpatos vellicat, adeoq́ue dulceſcit, vt lingua illicitæ ſuauitati aſſueta vix vnquã, niſi ad reprehenſionem ſoluatur. Profectò aulicus hoc contagio infectus diuini iudicij immemor eſt: Si enim meminiſſet, quæ, & qualia ei obijcienda ſint, fieret ipſe in alios clementior, vt Chriſtus animorum cognitor ei miteſceret. Sanè veriſſimum eſt illud Pſal: 56. *Filij hominum, dentes eorum arma, & ſagittæ, & lingua eorũ gladius acutus.* quemadmodum enim ſagittis, & gladijs corpus perfoditur, atq; diſcerpitur, ita bonum nomen linguis mordacibus deteritur,

atque diſijcitur. Ceterùm non impune ferent, vt è pſalte diuino liquet, qui cùm oraſſet liberari ſe à labijs iniquis, & à lingua doloſa, rogaſſetq́ue ecquid pœnæ detractoribus rependeretur, reſpondit: Pſal: 119. *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatoriis.* Ergo linguarum ſagittæ, ſagittis omnipotentis retunduntur, & conatus obſcurandi aliorum claritatem, inferorum carbonibus planè deſolatorijs plectetur, quo nihil calamitioſius excogitari valet. Miror certè linguæ licentiam, præſertim vbi in homine verboſè agẽte deſideratur bonum cõſcientiæ teſtimonium. Saluberrimum cõſilium eſt de proximis honorificẽtius loqui, obtrectatorib⁹ obſiſtere, omneſq́; liberaliter cõmendare, atq; tueri.

Curia non captiosè vtendum.
CAP: XVI.

INter vitia, quæ palatinos infestant, captiosum agendi genus est, quo viros bonos seducere, & tanquam simplices auiculas in laqueum adigere certant. Sic sanè aulici Saul, ab inuido rege inducti Dauidem vrgebant his verbis: 1. Reg: 18. *Ecce places regi, & omnes serui eius diligũt te. Nunc ergo esto gener regis.* Optabat Saul stimulis inuidentiæ incitatus Dauidem de medio tollere, submisitq; aulicos, qui monerent, regis filiam ei nuptui tradendam, si se dignum eo cõiugio gereret, non opibus, aut spolijs, sed cæde centum Philistæorum, vt liquet ex verbis illis: *Non habet Rex spolia necessè, nisi tantùm centum*

præputia Philistinorum, vt fiat vltio de inimicis regis. Hic sermo leniter, ac syncerè decurrere videtur; verùm quàm esse tcaptiosus ex eo patet, quod non tendebatur laqueus Philistæis, sed ipsi Dauidi, iuxta proxima sacri textus verba: *Porrò Saul cogitabat tradere Dauid in manus Philistinorum.* Non raró aulicus grauiter affectus inducit, quem maximè odit, ad res in speciem præclaras, eo scilicet scopo, vt in discrimen vitæ, vel honoris hominem inuisum impellat. At in caput suum insidias parat, Deo malis artibus vicem reddente: ereptiq; innoxij celebrant sacrum illud: Luc: 1. *Salutem ex inimicis nostris.*

Curia non auarè vtendum.
CAP: *XVII.*

AVlici auro ſtudentes, Reip. hoſtes appellandi ſunt. Nimis emungunt, ſanguinemq́ue proinde eliciunt, quod ferale ſpectaculum eſt. Profectò qui immoderatè in curia diteſcere nititur, ferus venator videtur, omnibus exoſus, & formidabilis efficitur, eiuſq́; mors ſummis votis expetitur, quod neminem latere poteſt. Officit ſibi altè infixa radice omnium malorum, quæ eſt cupiditas: Officit Reip. cuius munia parùm fideliter obit priuati lucri turpiſſimo intuitu: Officit proximis, quorum ſanguinem exſorbet. Neq; temerè ſperandum corraſa pecunia diu feliciter vſurum, quem auaritia ſemel excæcauit: vulgò quippe ſordidè viuit auarus, & aurum rapina, vel fraude malè congeſtum in-

ſtum interuertitur. Viuit anxius homo cupidus, timet ſibi, frui non audet; & tamen vt locupletior euadat, ſe ſe peccatorum pelago cæcus immergit. Nimirum cupiditas ea eſt, quã teſte Apoſtolo: 2. Tim: 6. *Quidam appetentes errauerunt à fide.* Si autem Catholicæ fidei lumen extinguit, quæ criminum monſtra non generet? Hæret aurũ cordi, apprimitur, illabitur, vt raro cupidus homo reſipiſcat, vel morti proximus. Ergo tempus anteuertendum, gliſcentique auaritiæ robur atterendũ eſt; & ex officijs ſibi creditis aulicus id duntaxat debet requirere, quod æquitas, pietaſq; refundit.

Curia non otioſè vtendum. CAP: XVIII.

VIx dici queat, quàm sint sui impotes aulici otiosi, quàm inertes, garruli, detractores, inconstantes, ignaui, aliorumque vitiorum notis respersi. Terra ferax est; at cùm desit cultura, pro tritico, & hordeo, carduos, loliumq́; progignit. Ratio, experientiaq́; rem confirmant: cùm enim studio nulli honesto se ipsos destinēt, ingenium perspicax, nobilitas, opes in malorum grauium instrumenta vertuntur, ipsique modos multos abutendi tempore excogitant, & alios benè institutos ad sua oblectamenta demulcent. Timendum est: nam suppetit eis saturitas, & accedit otium, quæ fuere duo Sodomorū peccata tremendo incendio punita. *Ezech: 26.* Ergo aulicus quisq; sic vitā instituat,

vt minimè vacet, ſed pro ſtatu ſuo vel litterarijs, vel militaribus, vel pijs exercitijs tempus impendat, euadatq́; in dies ſe ipſo melior, Deo gratior, Reipub: & proximis vtilior. Ne torpeat, vel opus procraſtinet: fiet enim quotidiè ineptior, & irriſione dignior. Et quidem, ſi alia capita torporem non excutiũt, conſideret ſaltem mortalium ſedulitatem, qua opes caducas coagmentant, & tantundem operæ pro ſapientia paranda, & quod nobilius eſt, pro ſempiterno regno pijs exercitijs nanciſcendo ponat, quantùm laboris illi pro fluxis bonis exantlant.

Curia fideliter vtendum.

CAP: XIX.

AD boni aulici partes facilè pertinet ſpectata in nego-

cijs ge-

tijs gerendis, in ſecreto ſeruando, in ratione reddēda, & vniuerſè in rebus ſibi creditis fides. Qui enim fidem fallit, non curia modò, ſed hominum ſocietate cēſetur indignus: quem ne ipſi quidem ethnici milites, vel mercatores ad ſua pacta reciperent: pugnat enim cum naturali ratione fidei violatio, quæ aditum ad fœdera, ad promiſſa, ad contractuſq; omnes intercludit. Porrò fallentes datam fidem è ſublimi quouis curiæ loco, cum dedecore ſummo deturbantur, neque locus pœnitentiæ ſupereſt apud mortales principes, qui dementiæ genus ducunt, ei fidere à quo ſemel decepti ſunt, quod exempla vulgatiſſima conuincunt. Si ergò temeratæ fidei culpa per ſe adeò deformis, adeò

mortalibus odioſa, adeò ludibrio expoſita eſt: profectò ſuæ ſalutis, & honoris contemptorem oportet eſſe aulicum, qui ſe fidiſſimum probare non certat. expedit ad virtutis huius culturam circumſpectè agere, aſſeruare ſcripta, moderatè polliceri, conuentioniſq́; reddendæ tempus potius præuenire, quàm differre, & pro explendo promiſſo, ſecreti iure, alijſq́ue ſimilibus, & rei familiaris, & commoditatis pati iacturam.

Curia ſine adulatione vtendum.
CAP: XX.

ADulatio ſaccharum aulicorum eſt, quod teritur, & negotijs quaſi dapibus inſpergitur. Nimirum mortales proni ſunt ad eos hyperbolicè, aut

ſimulatè laudandos, à quibus opes, vel honores requirunt: eoq́ue promptiùs laudes exaggerant, & agglomerant, quò ſibi certius eſt, abſque faſtidio accipi molliter irrepere, interdumq; vel mendacia ipſa graphicè picta placere. Ceterùm quicquid fragilitas excuſet, exploratum eſt, aſſentationem vitium eſſe abiectiſſimũ, quod viros ingenuos minimè decet: neque credendum eo artificio vera vlla bona poſſe parari. Quin verò credendum, mala ingentia inde prodire, præſertim vbi principibus Reipub: ſtatus pro perturbato tranquillus, pro ſterili fælix coloratur: nam quæ aſſentatio principis ſolius perſonam afficit leuior eſt, tametſi, & hæc malè accepta grauiſſimè lædãt. Cuius rei

argumento eſt tragica mors Herodis, cùm trabeato, pro tribunali ſedenti, & concionanti Tyrii, & Sydonij adularentur in hæc verba: Act: 6. *Dei voces, & non hominis.* Intumuit ipſe diuinitatis imagine, moxque horrendo ſupplicio peremptus eſt, vt liquet ex adiectis ſacri textus verbis: *Confeſtim autem percuſſit eum Angelus Domini, eò quòd non dediſſet honorem Deo, & conſumptus à vermibus expirauit.* Pruritum adulationis aures caſtæ non ferunt.

Curia ſine ſuſurro vtendum.
Cap: XXI.

SVſurrus diſcordiæ ſator, & Reip: impugnator eſt: quod vtinam pro rei grauitate perpenderent, qui ad principum cubicula penetrant, timores, ac

ſuſpiciones excitant,& concordes ad infauſta diuortia perpellunt. Funeſtius malum eſt, quã vt ſcripto breui exprimi poſſit. Turpe quidem vitium vel militibus transfugis, maleq́; mulctatis: quid autem de aulicis nullo ſtimulo punctis,ſed spontanea malitia peccantibus ſentiendum? Conqueſtus eſt Dauid, quòd huiuſmodi hominibus Saul aures præberet attentas,in hunc modum: 1.Reg:24. *Quare audis verba hominũ loquentium, Dauid quærit malum aduerſum te?* Perantiqua ſcilicet peſtis eſt; qua ſublata ſedantur animi vti ſcriptum eſt: Prou. 26. *Cùm defuerint ligna, extinguetur ignis, & ſuſurrone ſubtracto iurgia conquieſcunt.* Caueat ergo aulicus ne ſit lignum aridum, ignis diſcordiæ pabulum, ſed quoad

pote-

poterit incẽdio materiam subtrahat, diuinæ charitatis legi obtemperet, pacem alat, nuncia allata, atque relata piè interpretetur. Quod si præstiterit, omnino speret, se peramplam mercedem à Deo pacis auctore recepturum.

Curia sine affectatione gratia vtendum. CAP: XXII.

NIhil in aula, curiaúe æquè pretiosum, ac principum gratia ab aulicis æstimari solet. Pro hac paranda vel augenda, nihil non mortales attentant, vt optandum sit, tantundem laboris pro gratia diuinæ maiestatis hauriant, quod est votũ planè mirabile. Ceterùm quàm sit fragilis, inconstans, casibus obnoxia hæc hominũ gratia, quotidianæ mutationes euin-

cunt. Porrò gratia hæc multo labore parta, vas vitreum eſt, quod ictu leui perfringitur: vt poſt annos plurimos videam⁹ pleroſq; gratiæ mercatores, ex ampliſſimis aulis depulſos, q̄a vno, vel altero verbo à principis ſententia diſcreparunt, vel quia lentè in ſententiam conceſſerunt: quo quid infelicius? Verùm licet à gratia non excidant, maior eſt conſeruationis labor, quàm fructus: quid enim ſperetur ab ijs, in quibus, vt cecinit diuinus vates, *Non eſt ſalus*. Id autem boni, quod ſubeſt, ipſo temporis decurſu conflacceſcit, vt hominum gratiæ aptè conſonet illud quod de forma quidā ſcriptor aſſeruit:

Forma bonum fragile eſt, quantumq; accedit ad annos,
Fit minor, & ſpatio carpitur ipſa ſuo.

Si ergo

Si ergo mortalium gratia sterilis est, neq; salutis ferax, neque eodem tenore procurrēs, imò facillimè mobilis; quid cogitat aulicus, qui quodam velut idololatriæ cultu, eam gratiam aucupatur? An putat se ideò bonum virum, Reipubliceq́; proinde idoneum, quia placet? Minimè quidem: potest quippe, cùm bonus sit, displicere. Nouit hoc Achis Rex Geth Dauidē affatus: 1. Reg: 20. *Viuit Dominus quia rectus es tu, & bonus in conspectu meo, sed Satrapis non places.* Gratia igitur principum non affectatè exquirēda, tametsi neq; habēda neglectui.

Curia sine factionibus vtendum.
CAP: XXIII.

SÆuissimus nostræ salutis hostis, ac nocēdi cupidissimus

animos aulicorũ in ſtudia varia diuidere, ac pro ſua quemq; opinione vehementer afficere conſueuit, vt quod exempli cauſa producitur, hũc pro Gallia, hunc pro Hiſpania confligere paratum per oblatas occaſiones in tetra peccata præcipitet. Et quidem mirum videtur, neque in Gallia, neque in Hiſpania ortos, neq; oriundos, adeò ardenter regni vnius, cum alterius exprobratione, ſtudium arripere, pertinaciterq́; tueri, vt in medijs quoq; plateis occaſiones importunæ laudis, & maledicentiæ captẽt, eaq́; de cauſa, & vitam, & animæ ſalutem in diſcrimen adducant. Temeritas eſt Chriſtianis hominibus diſſentanea, iuxta Apoſtolum Corinthios reprehendẽtem in hæc verba:

1. Cor :1.

1. Cor: 1. *Hoc autem dico, quod vnusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego autem Christi.* Carpsit homines in studia varia diuisos, quos malebat in vnũ Christum coalescere: quocirca alto cum sensu subiecit: *Diuisus est Christus?* quasi planiùs dixisset: Quorsum Christi corpus ex multis Christi cultoribus compactum varia opinione discerpitis? Hoc ipsum istis nationum diuersarum vnum Christi corpus componẽtium sectorib⁹ exprobrari posset. Neque ratio vlla potest obtendi, quæ affectum immoderatum honestet: nam quod à plerisque prętexitur, affici se in hanc gentem, quia cultior, fortior, religiosior est, illam verò odisse vt minus laude dignam,

fortaſſe probandum, vt alterã præ altera quis amet; minimè verò vt alteram oderit, maledictiſq́; proſcindat, vel vt quã impenſius amat, intempeſtiuè cum alterius expreſſa, vel tacita vituperatione commendet. Porrò Corinthij Pauli ſtudioſi, aliqua ratione ſubnixi ſibi laudi vertere videbantur, quòd Pauli non Apollo filij forent, & tamen iactatio illa Paulo diſplicuit. Salubrius conſilium eſt, porrectis diuinæ charitatis brachijs omnes cuiuſuis generis amplecti, illoſq́; ſibi amiciſſimos ducere, qui omnium optimi, ac integerrimi ſunt.

Curia non curiosè vtendum. Cap: XXIV.

CVrioſitatis vitium à viris ſapientibus multis nomi-

nibus

nibus reprehenditur. Tempus, rem ſcilicet pretioſiſſimã, bonis exercitiis præripit, animũ variè, ac noxiè afficit, caput rerum vtilium, diuinę præſertim ſapientiæ ſtudio deſtinatum, vanis imaginibus, ac mendaciis opplet, hominemq́ue totum de mente deducit. Quocirca mirum eſt, aulicos Chriſtianos minimè paucos nihilò meliores in hoc genere videri; quàm Athenienſes, qui ex hoc capite vituperantur, ſicut ſcriptũ eſt: Acto: 17. *Athenienſes autem omnes, & aduenæ, hoſpites, ad nihil aliud vacabant, niſi aut dicere, aut audire aliquid noui.* Hinc efficitur vt per hebdomadas ſingulas totius orbis terrarum commentarios figmentis, ac ſuſpicionibus refertos, quos Gazetas appellant, accipere velint.

Neque verò quieſcunt, ſed ſuperſtitioſo quodam politicæ diuinationis genere noſſe cupiunt, quid alij ſpeculatores de rerum ſucceſſu prædicant; atque in hunc modum farragine quadam cogitationum inconditarum abſq; numero ſubeuntium obruuntur. Quid de huiuſmodi voluptate proferam? Quanto eſſet conſultius, tot horas rebus dicare ſerijs, pijs, vtilibus? Breuis admodùm humanæ vitæ periodus eſt: Subſunt plurima diſcenda, quibus immortalis animus ad ſempiternam gloriam inſtrui, promouerią; debet: quomodò ergo Chriſtianus aulicus non animaduertit, ſe toto aberrare cælo, dum nouitatis illecebra permulcetur? Profectò qui eiuſmodi ſtudijs addicitur, Acto: 17.

Ignoto Deo, vt olim Athenienses aram erigit : ita quippe Deum colit, inexplebili rerum caducarum curiositate præpeditus, vt eum minimè cognoscat.

Curia non profanè vtendum. CAP: XXV.

PRofanus curievsus est multiplex, qualis ille, quo aulicus in studiũ rerum planè profanarum incumbit effectus disquisitor genealogiarum, & numismatum antiquorum, quorum imaginibus, ac inscriptionibus dispiciendis, ac intelligẽdis curam auctiorem, quàm obseruationi diuinæ legis impendit. Sedulitas hæc facilè indicat, quid in animo delitescat. Quid enim de homine Christiano censebimus, qui subterra-

nea ſecreta rimatur, vt mutilas ſtatuas, parmulas vetuſtate exeſas, galeas contuſaſque in loco honeſtiore, quàm Sanctorum reliquias collocet, multiſque millibus ſpectacula profana conuocatis admiratoribuſque oſtentanda emptitat? Parum felix eſt, qui profanis oblectamẽtis capitur, longeque recedit à conſilio illo. Pſal: 36. *Delectare in Domino.* Partem quippe vitæ non modicam ethnicorum ritu tranſigit. Si autem ethnicorum ritu viuit, quid à Chriſto remunerationis expectet? Dilabitur tempus, mors feſtinat accedere, iudicium tremendũ imminet: qualis ergo dementia eſt, alta obliuione ſalutis æternæ curam deponere, & terræ viſcera ethnica ſollicitudine permeare? At dicet quiſpi-

am, se salutis curam neutiquã ablegare, sed animi gratia res antiquas, sine vllius offensione perquirere. Ceterùm quomodo Dei, salutisq́; suæ curam nõ abijcit, qui ex professò profanæ antiquitati plurimum, Deo, animæq́; curæ tam exiguũ tempus attribuit? Quomodo nulla timetur Dei, ac proximi offensio, vbi homo Christianus profanis curis tã seriò se ipsum implicuit? Res ad trutinam diuinæ legis expendenda est.

Curia non superstitiosè vtendum, CAP: XXVI.

SVperstitio multiplex curiã solet inficere, qualis est diuinatio futuræ vitæ à natali accepta, qualis item, prædictio mortis principum, quæ varijs ex causis non exoritur, sed ex-

primitur. Qua certè in prædictione culpa duplex vitanda, altera quæ in ipſa prædictione ineſt nullo fundamento ſubnixa, altera, quæ ad affectum pertinet, qui eiuſmodi vanis obſeruationibus irritatur, & paſcitur. Sanè quod ad ſuperſtitioſum prefandi genus ſpectat, exploratum eſt, nullam certam ſignorum, & euentuum connexionem piè, vel prudenter aſſeri poſſe, rebus theologicè, ac philoſophicè perpenſis: qualis enim connexio, exempli gratia, inter percuſſum fulmine, arcis faſtigium, principiſque mortē reperitur? Quòd ſi mors alicuius principis circiter ictū fulminis aliquando incidit; quis non perſpiciat, ex fortuitò euentu nullum argumentum firmū duci poſſe? Profectò le-

uitatis argumenta plurima inde promuntur, neque culpa vacat impenſum coniecturis tempus, quod curis alijs deberet impendi. Iam verò, ſi de affectu ſermo fiat, qui vanis obſeruationibus ſtudent, facilè ſignificant, cupere ſe, quod conrectant, quod turpe videatur neceſſe eſt. Viros graues, atq; cordatos decet, prædictiones vanas aſpernari, ſpontaneoſq; hos mendaces vates à ſuis aulis depellere.

Curia non ſcurriliter vtendum. CAP: XXVII.

SCurræ, qui appoſitè ad riſum excitandum, verba, ſententiaſque confingunt, principumque aulas, & menſas frequentant; ignauum hominum genus eſt. Cui quaſi contiguum

succedit genus alterum, quod tametsi institutum illud infame non profiteatur, proximè tamen accedit, & facetijs, scommatibus, satyricoúe sermone omnia permiscet, vnde sibi victum fortasse cõparet. Exploratam est, quod in aluearibus cernimus, hoc in curia spectari, esse videlicet homines inutiles abliguriendis aliorum obsoniis intentos, æquè ac fucos apium mellificio inhiantes, qui vno dumtaxat bombo gloriantur. Bonus aulicus ab hoc studio longè debet abesse, quod cum vitæ integritate, ac status decoro cõnecti minimè valet. Certè scurrilitas ab Apostolo reijcitur, vt quæ Christianum hominem neutiquam deceat. Eph: 5. Quomodo enim deceat inanis illa verborum effusio,

quæ prudentum virorum iudicio mentis leuitatem arguit, neq; cum pietate cohæret? Qui ergo ſaluti, ac honori ſuo conſulit, vanitatem hanc procul arcebit.

Curia non verboſè vtendum. Cap: XXVIII.

PAuci fortè aulici loquacitatis vitium penſitant, vel id eſſe ducunt, à quo abſtinẽdum ſit. Eo quippe proceſſit vitæ licentia, vt nihil mali ſe admittere plerique cenſeant, quantumuis linguæ habenas laxent, dummodo non peierent, mentiantur, aut detrahant alienæ famæ, vel alia id genus linguæ peccata perpetrent. Errant verò illi grauiter, cùm ſcriptum ſit: Prou: 10. *In multiloquio non deerit peccatum.* quod crebris ex-

perimentis aſſeritur. Et quidem res per ſe ipſa perſpicua eſt: Si enim, vel qui præmeditati loquuntur, vix ita verba trutinant, vt aliquid reprehenſione dignum non excidat, tametſi vitæ integritate, prudentia, & doctrina præcellāt: quid ij non peccent, qui abſq; conſilio vllo, tanquam per inexploratum mare vela explicant, & arrepta vndecumq; anſa cupidiſſimè verba faciunt, neq; loquendi ſitim explere poſſunt? Nihil iſtis moleſtius, quàm ſilere, vt eis aptè congruat illud Eliu verba facere cupiētis. Iob 32. *Plenus ſum ſermonibus, & coarctat me ſpiritus vteri mei. En venter meus quaſi muſtum abſque ſpiraculo, quod laguncu las nouas diſrumpit. Loquar, & reſpirabo paululùm.* Conceptum ſermonem repri-

mere nequeunt, & obserata ratione claustra non tam aperiunt, quàm perrumpunt. Omnia permiscent, aliis inuisi fiunt, quorum capita obtũdunt, propriæque existimationis iacturam faciunt, cùm eò minus idonei serijs negotiis credantur, quò vberiùs, leuiusque loquuntur. Nimirum causarum decisio grauium, sensa multa, verba pauca, perpensaque requirit, eaque de hominibus tacitis persuasio à populo cõcipitur, vt dum illi labia diducunt, oracula reddere videantur. Ergo in curia parce loquendum.

Curia veraciter vtendum.
CAP: XXIX.

QVàm sit viro aulico ad placendum Deo, ad fidem sibi conciliandam, ad officij par-

tes explendas opportuna veritas, tam eſt per ſe compertum, vt aſſertore non egeat. Erit autem ad rem veritatis honeſtatem, ex oppoſita mendacij turpitudine perpendere: Vt enim mendacium honeſtari vlla de cauſa nequit, ita veritas à natiua pulchritudine, detorqueri non poteſt. Quod vero ad hominum conſuetudiné attinet, manifeſtum eſt, aulicum mendacem infamiæ notis infici, bonorumq́; virorum amicitia indignum exiſtimari. Si autem de officio deferendo, vel magiſtratu gerēdo ſermo fiat, quis vnquam ſuffragetur ei, qui vel cùm vera promit, eſt de mendacio ſuſpectus? Certè non Chriſtus modò, qui eſt ipſa veritas, ſed gentes vniuerſæ quocumque nomine cenſeantur,

mendaces homines tanquam proditores intuentur: quos ſi ad mendacij conſuetudinem prolapſos videant, nihil eis bonæ ſpei ſupereſſe videtur. Neque abs re, cùm ſcriptum ſit: Pſal: 3. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.*

Curia ſine nouis inuentis vtendum.
CAP: XXX.

VT nouorum dogmatum ab ſcholis, ita nouorum rituum inuentores à curia pellendi eſſent, nõ inquam inuentores piarum conſuetudinum, ſed vanorum rituum, aut morum, quorum origo malorum germinum ſeminarium eſt. Conſtat nempe vnius hominis inuentum in holoſericis, auroué textis veſtimentis, in menſæ lautitia, in domus apparatu

incredibili æmulatione ab alis arripi, immodicisq́; accessionibus augeri: vt quàm difficillimum sit, imitationis libidinem compescere. Iam verò quis non perspiciat, inuenta hæc Reipub. officere, cuius vires atteruntur, salutiq́; animarum, quæ ijs cupiditatibus affectæ à cultu pietatis longè abducuntur? Profectò recenseri nequeunt mortalium inuenta luxui, & voluptati destinata ijs potissimùm in locis, vbi parũ pia, sed perspicacia ingenia excoluntur. Sat ergo sit, abusus in morem inductos latè serpere: quorsum tamen accuratum noua excogitandi studiũ, quod à Christiana disciplina respuitur.

Curia non diu vtendum.

Cap: XXXI.

Pruden-

PRudentes, pijq́; milites, ac mercatores nonnulli, antequam ſeneſcant, à caſtris, nundiniſq́; deſiſtunt, præſertim vbi ſatis viatici ad reſiduum vitæ tempus comparatũ eſt. Expedit quippe, ſe ſe laqueis ſolutis, vel diruptis eripere, ne in agone ſupremo præfocentur. Conſilium hoc aulicis ſaluberrimum eſt; accedunt q́; exempla permulta eorum, qui ſenio confecti miſerrimè in aulis intereunt, cùm poſſent non incommodè proprijs in ædibus piè, ac tranquillè defungi. Curia, velut comœdia quædam, eſt, cui aulici ſpectatores, & auditores interſunt, cuius voluptate allecti lapſum prolixi tẽporis minimè deprehendunt, totaſq́; interdum noctes incœnati, inſomneſque perdurant.

Quapropter vel inuiti abſcedant opus eſt, ne cunctatio diutius protracta tempus præmeditationi mortis, & conſcientiæ expiationi adimat, ſeroq́; querantur, ſe imprudenter egiſſe. Porrò vereor, ne pleriſque inclinatæ iam ætatis aulicis congruat illud, quod Iſraëli obiectum eſt: Deut: 32. *Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia: Vtinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſsima prouiderent.* Non ineptè cecinit quidam:

Regum ſollicita quicumque ſeneſcit in aula,
Aut furit, aut vltro concupit eſſe miſer.

PARS SECVNDA DE CONSILIIS AD VITAM PIE INSTITVENDAM.

Consilium I. De proponendo pietatis scopo.

REX quidam ætate hac planè prudentissimus tanti consilium fecit, vt diceret, placere sibi minus fortuitam victoriã, quàm exercitus cladem, quæ consilio præuio contigisset. Nimirum secundi euentus vbi consilium defuit, non sunt argumenta virtutis. Debet ergo aulicus, qui virtutes Christianas colere decernit, consilio regi: cui pro-

indè primum consilium esto, vt dum in curiam pedem infert, non se præceps in pelagus negotiorum immergat, sed pietatis scopum sibi præfigat, & consultet, qua potissimum ratione genus vitæ, quod suscipit, pietati subseruiat. Si enim pium sibi scopum minimè proponat, perinde aget, ac si ædificium absq; fundamento moliatur, quod extremæ dementiæ tribuitur. Propositus autem pietatis scopus ab eo peti nequit, nisi omnino statuat, se nihil ausurum, quod cum diuinæ maiestatis cultu ægrè cohæreat: non opes, non honores, non mortalium gratiam aucupaturum, accepturumúe, nisi quatenus ad vitam piè ducendam conferre crediderit. Hoc sanè consilium tanti ponderis

est, vt pium, prudentemque aulicum ab impio, stultoque discriminet. Pius videlicet, ac prudens sic opus auspicatur, vt honestissimi finis gratia actus obeat suos, ad proportionem expensos, atq; per lineam rectam iustitiæ ad sempiternæ felicitatis lucra directos. Stultus verò finis honesti neglector, ordine preępostero res permiscet, dum diuinis humana, spiritualibus temporalia præfert: & absque directione, ac proportione vlla, immoderatis æstuat desideriis, mortiferisque se plerumq; peccatis implicat, dum voluntas licenter fertur, quò immodicus fluxorum bonorum appetitus impellit, quod à paucis obseruari animaduerto.

Consilium II. De Sacramentorum vsu.

PIetatis ſcopo pręfixo prima boni aulici cura ſit, vt medijs illis vtatur, quæ Chriſtus ad pietatem alendam inſtituit, cuiuſmodi ſunt ſacramenta, quibus animus ad expugnanda vitia, & virtutes perquirendas armatur. Neque enim ſibi conſtat, qui finem ſibi ob oculos ſtatuit, mediaq́ue negligit, vel ſegniter vſurpat. Qua profectò in re planè grandi, mirũ eſt, quàm ſibi malè conſulant pleriq; aulici, qui negotiorum fluctibus ſe obrui cauſantur, ne pœnitentiæ ſacramento frequenter expientur, ſacramq́ue Euchariſtiam octauo, vel quintodecimo quoque die ſumant: ne alios commemorem, qui

menſes

menses totos à sacramentis abstinent. Ergoné tam cæcè aberrét, vt minimè dispiciãt quantopere sibi noceant? in dies singulos peiores euadunt, acies mentis obtunditur, animus obcœcatur, cor obdurescit, sensus ingrauescunt, infelicesq; homines cælestibus auxilijs spontè reiectis in oblectamenta mundi, pecudum ritu procumbunt. Quid, quòd Sacramentorũ desuetudine, altaq; Dei obliuione eò pertingunt, vt quò longius remedia procrastinant, eò difficilius, vel periculo mortis vrgente illa requirant? Porrò, vt sacramenta cætera sileam, credo equidem, ethnicus aliquis de veritate Eucharistiæ monitus, recenterque conuersus, ac sententiam rogatus, responderet credere se, Christianos Eu-

charistico pane quotidie ali, incredibiliq; stultitię vertendum esse, si quis mensam illam non creberrimè frequẽtet, qua Deus in æterni amoris fœdus mortales tam humaniter accersit. Quæreret ille fortasse, an liceret vel ipsos viros seraphica puritate nitentes, quoties vellent, accedere. Cæterùm mensam illam à quoquam rogato deseri, ægerrimè sibi persuaderet. Et tamen eò aulici non pauci prolapsi sunt, vt vix ter, quaterué per annum difficulter accedant, neque flecti possint, vt curiæ damna conuiuij illius crebritate compensent. Hi serò sapient.

Consilium III. De orationis studio.

INter alia bona, quæ aulici

ſuæ ſalutis immemores profunda obliuione ſepeliunt, ſtudiũ orationis recenſetur. Quod adeò verum eſt, vt ne quidnam rei ſit oratio pleriq; nouerint, quaſi res minimè neceſſaria foret, vel Chriſtus eam in Euangelio non impenſè commendaſſet. Mirum eſt profectò, viros ingenio perſpicaces, & orandis principibus aſſuetos, vel inclinata iam ætate nondum didiciſſe, quemadmodum Deus orandus ſit. Porrò prætexere nequeũt, ſe oratione parùm indigere, cùm inter diſcrimina multa verſentur, à quibus nemo vnquam euaſit incolumis, niſi quem propitius Deus eripuit. Si autẽ ſalus à Deo requirenda eſt, quomodo vitam feliciter ducet, qui Deum obſecrare minimè conſueſcit, aut

nouit? Ediſcant ergo aulici tempeſtiuè modum orandi, & ſummo mane per horam ſaltem dimidiam diuinę maieſtati cogitationum & affectuum primitias offerant, vt toto dierum excurſu à clementiſſimo Deo dirigantur, & multiplicia tartari, mundiq́; ſpicula clypeo diuinę protectionis elidant, vel eludant. Conferant de re tanta cum viris rerum diuinarum conſultis, vt ab eis edocti, eo ſaltem affectu, quo mortales principes ad ſua vota conantur inflectere, regem immortalem deprecentur.

Conſilium IV. De præſentia Dei.

VIX dici poſſit, quàm ſit apud mortales exigua rerum diuinarum ſcientia, quàm rara, vel certè neglecta mentio.

Quis enim inter aulicos certam aliquam rationem inijt iuuandæ memoriæ, vt artificio aliquo vtatur, quo Dei amoré, ac timorem inter negotia recolat, ne vllo peccato fœdetut? Porrò paucos inuenias, qui de re tanta cogitarint, nedum rei momentum expenderint. Caput innumeris imaginibus, & bonorum temporalium curis implent, ſoliq́ue Chriſto locus non ſupereſſe videtur. Sanè mirum eſt, animos cæleſtis ſapientiæ ſtudio deſtinatos, alia pene omnia incredibili ſollicitudine velle complecti, & perquàm rarò meminiſſe ſummi, ac ſempiterni boni, quo proſperari poſſent. Abſit à cordatis aulicis obliuio hæc, quæ præter ingrati animi culpam, futuram infelicitatem portédit. Curent

potius diuinæ maiestatis vbiq; præsentis identidem recordari, infinitam potentiam vereri, se se frequenter ei submittere, opem postulare: certoque sibi persuadeant, curam hanc esse bonorum fructuum feracissimam, siue de peccatis præcauendis, siue de piis actibus obeundis, siue de appetitu effræni coërcendo, siue de virtutis arduitate superanda sermo fiat. Si enim semel animo altè impressa fuerit Dei præsentia, id planè cõfert toti homini, quod exemplo familiari mortalium principum præsentia famulis adstantibus imprimit. Ij quippe, tametsi intemperantes sint, quamdiù coram principibus agunt, modestè admodum se totos coaptant, ne quid incompositum in corpore, vel gestu

se pro-

se prodat, quo ijs displiceant quibus placere summopere cupiunt. Ad hunc ergo modum, qui Deum præsentem contemplantur, angelico more internos, externosque actus proportione mira exercent, ipsoq; intuitu, incessu, sermone, totiusque corporis moderatione facilè indicant, se maiestatem diuinam mente perttactare, attentèq; dispicere, ne quid indecorum admittant.

Consilium V. De virtutum actibus internis.

AVlici sapientis est, ita erga temporalem affici curiam, vt priore loco ponat æternam, ac proinde inter ipsa negotia, quæ gerit, frequentibus desiderijs ad cælestem ciuitatem aspiret. Neque enim fu-

turæ felicitatis curam adeò debet abijcere, vt eam dumtaxat repetat inter missæ sacrificiũ, vel interim dum se ad sacras confessiones, vel Eucharistiæ Sacramentum comparat, reliquo vero tempore terrenis se totum curis immergat. Non expedit profectò tam prolixũ mundo, tam modicum Deo tempus impendere: sed inter alia negotia crebris mentis ascensibus, & egregijs virtutum actibus, illud æternę salutis negotium planè grauissimum gerere, intercalatisq; motibus cor in Deum attollere, modò spei, modò amoris, nunc pœnitentiæ, nũc humilitatis, aliarumq; virtutũ actus producere: quod à nonnullis aulicis, numero paucis, merito eximijs factitari consueuit. Neq; sane video

quid huic cõsilio saluberrimo possint obtendere. Cùm enim totas horas, vel ante principũ cubicula, vel in hortis, vel in sacris ædibus exitum, ingressum, vel congressum principũ præstolentur nihil omninò agentes, similiq; otio incertas alias horarum partes vario euentu deperdant; cur inertia torpeant, & non potius puris, pijs, salutaribus cogitationibus diuinam maiestatem adorent, ament, timeant, se à malis eripi, ad vera bona promoueri, à mundi laqueis expediri, dæmonis tentamenta peruincere, pia morte perfungi deposcãt? Credo equidem, esse non paucos, qui antequam operi alicui manum admoueant, Deum precentur, ne quid culpæ committant: ceterùm non hic subsi-

ſtendum eſt, cùm omnino conſtet, poſſe illos abſq; animi tædio, vel bonorum temporalium decremento, pietatem augere, actuſq; vti diximus, virtutum, nõ in otio tantùm proferre, ſed ipſis quoque negotiis temporalib⁹ intertexere, multiſque ſpei, diuini amoris, contritionis, humilitatis affectibus animum excolere, ius æternæ hæreditatis acquirere, & multiplices victorias de infeſtiſſimo noſtræ ſalutis hoſte referre. Qua de re cum viris conſultis agendum eſt.

Legatur pars 3. Vbi formula internorum actuum præſcribuntur.

Conſilium VI. De virtutum actibus externis.

Eò licentia progreſſa eſt, vt parùm timorati nonnulli

externos virtutum actus obire erubeſcant, tanquàm indecorum aulico ſit, dum fuit iniuria laceſſitus, molli reſponſo iratos lenire, preces frequentare ſacras, viros ſanctitate eximios conuenire, hoſpitales domos petere, de contẽptu mundi verba facere, aliaq́ue huiuſmodi, quæ, prolixum foret, percenſere. Ceterùm error enormis eſt, hæc refugere, omittere, vel intermittere ob iudicia mortalium, quæ Chriſti iudicio minimè congruunt. At hypocriſi vertitur externus pietatis cultus, vel etiam ambitioni, quaſi ea ſanctitatis imagine facilius in ſedes primas aſcendatur. Verùm argumentum hoc pios animos non deberet à propoſito deducere. Si enim ſyncerè ac perſeueranter

agant, feliciter proficient, & hominum commenta ipso vitæ inculpatæ tenore refellent: vera quippe virtus, licèt malis suspecta videatur, qui de alijs bene opinari nesciunt, temporis decursu adeò constanter splendet, vt nebulas omnes à detractoribus offusas dispellat, suique ipsius assertrix, ac testis locuples luculentis signis proteruos quoq; reuincat. Sed aulicus Christianus habet altiora, quæ consideret, Christum videlicet spectatorem, ac remuneratorem. Habet exempla principum pijssimorũ, qui externis actibus, contempta mũdi censura, propalant quid internè animo versent, dum inopes alunt, nudos vestiunt, ære alieno grauatos absoluunt, sacramenta frequentant, ieiunijs

corpus ſubiugant, precibus aſſueſcunt, & multarum meritis virtutum vitam, quaſi polymitam iuſtitiæ veſtem ſibi contexunt.

Conſilium VII. De mortificatione.

MIrabitur fortaſſe Lector palatinam inſtitutionem hanc tãquàm affectibus, & moribus aulicorum diſſentaneam. Ecquis enim in curia de mortificatione paſſionum, de abnegatione proprij iudicij, ac voluntatis cogitet? Porrò peregrinum doctrinæ genus pleriſque videbitur. Verùm ſi proprium vitæ inſtitutum explorent, comperient profectò, ſe perenni quadam mortificatione torqueri, multoq; mitiora ab eis hoc loco requiri, quàm quæ ipſi mundi iugum ſponte

ſubeuntes perferunt. Quoties, rogo, incommodè pernoctant, vel abnoctant, vt placeant ijs, quorum potentiæ, vel gratiæ innituntur? Quoties ſolitas cibi horas, vt ijs aſſiſtant, ſtomacho languente transiliunt? Quoties opinionem propriam ſupprimunt, vel pernegant, ne ab aliis, quorum aucupantur opem, diſſentire credantur? Quoties aliorum placita, vel exercitia, ſe probare, cupideq́; arripere multo cum voluntatis reniſu cõfingunt? Si ergo hæc, aliaq́ue plurima mundi gratia peruincunt; cur eis nouum dogma videatur, mitiorem aliquam mortificationem ſalutis æternæ cauſa ſuſcipere? Porrò ſine valetudinis, lucri, vel exiſtimationis damno, poſſent illi in cibo potuq́; ſumendo tan-

tillum appetitui ſubtrahere, in ſermone familiari ab altercatione deſiſtere, vel etiam modeſtè cedere, in lecto ſternendo culcitras nimirùm molles reijcere, in veſtitu cultum nimis pretioſum, vel profanum excludere, atque in hunc modum in media curia Chriſti mortificationem comite meditatione vitæ cæleſtis exercere. Etenim noui ego aulicos paucos hæc fidiſſimè explentes: doleoq; vicem aliorum, qui de diſciplina hac id planè reſpondere poſſunt, quod de ſapientia mare apud Iob. Iob 28. *Abyſſus dicit: non eſt in me; & mare loquitur: Non eſt mecum.* Et quidem ſi Chriſti abſit diſciplina, abſit & ſapientia; quid aulicis proſit mundi proſperitas confeſtim interitura?

Consilium VIII. De pia lectione.

SVnt aulici plerique variæ lectionis, ac politioris litteraturæ cupidissimi, quibus persuadere vellem piæ lectionis studium, quod est immensi boni feracissimum. Mollitur animus ad sensa diuina cõcipienda, cęlestibus flagrat desiderijs, sordet ei mundi gloria, intima perfunditur lætitia, castaque voluptate penitus illapsa, alto cum mundi neglectu de summo bono conquirendo, regnoque cælorum expugnãdo, prudentissimè cogitat. Exprimi nequit quàm sit salubris piorum librorum lectio, quæ de pectorib⁹ quoq; durissimis victorias perillustres retulit, inopinatoq; motu ex aulæ penetralibus ad monasticã disciplinam

palatinos traduxit. Sanè cùm Treuiris Circēsi spectaculo populus teneretur, duo aulici, occasione lectionis libri pij, in quem vnus inciderat, igne cælestis desiderij adeò conflagrarunt, vt ipsa lectionis hora, ipsoq; loco spem gratię principum & quicquid mundus adorat, ipsas etiam sponsas intactas reliquerint, seseque totos, abiurato seculo, diuino cultui exemplo miro deuouerint, quod ab Augustino memoriæ proditum est. *Confes: 8. c. 6.* Si ergo pius liber. fortuitò arreptus eos pietatis stimulos inopinis lectoribus infigit; sperandum profectò lectores præmeditatos, & cupidos vim diuinam è pia lectione concepturos, qua feliciter proficiant. Quocirca deberent boni aulici

modicum tempus alijs negotiis ereptum, quotidie piis libris impendere, vt præberent cor molle Christo, qui altè seipsum imprimeret. Experiantur, rogo, rem hanc per dies aliquot, fruanturq; piæ lectionis suauitate: spero enim eos vel ipsa delectatione capiendos, nam, *Trahit sua quemq; voluptas.*

Consilium IX. De Eleemosyna.

PEccarat Chaldæorum Rex Nabuchodonozor; cui Daniel, Dan: 4. *Rex, consilium meũ placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime.* Hoc ipsum consiliũ aulicis saluberrimũ est, vt quo affectu inopes prosequuntur, à Deo excipiãtur, qui misericordiam liberaliter repensat. Eleemosyna peccati incendium extinguit, & è sinu pauperis

clamitat peracutis vocibus,quę in Dei ſinum ocyſſimè perfe-runtur. Aulicus ergo, qui ex-piari cupit, & lucrum augere, ſit omnino miſericors, & pro facultatis modo largè, largiuſ-úe refundat: nam tot teſſeras collybyſticas ſpirituali cam-bio tranſmittit in cælum, quot eleemoſynas erogat:quod qui-dem negotiationis genus ca-ſtiſſimum eſt. Solent viri ge-nere, induſtriaq́; clariſſimi, in caſtro aliquo, opidoúe natali, à curribus,lecticis,ſplendidoq́; apparatu abſtinere, vt facto per annos aliquot pecuniæ cō-pendio,curiam gloriosè petāt, liberaliuſq́; ſe ipſos, aulam, & famulitium exornent. Hoc e-go conſulerem Chriſtiano au-lico de cæleſti curia cogitanti, vt parciùs viueret, opeſq́ue ad

amplissimosꝗ ciuitatis Dei honores in sinum inopum reponeret, quibus inter patritios, qui scripti sunt in libro vitæ, mirificè exornatus incederet. Infelix cui doctrinæ huius obrepsit obliuio, in cassùm quippe fluxas coaceruat opes. Psalm: 48. *Quoniam cùm interierit non sumet omnia: neque descendet cum eo gloria eius.* Rectè dictum: Descendet: suo enim pondere deorsum fertur.

Consilium X. De spirituali magistro.

NOn est æqua rerum æstimatio, si aulicus magistrũ exquirat, à quo mundi prudentiam accuratè perdiscat, negligat verò animi ductorem, ac magistrum quærere, à quo cælesti prudentia instruatur. Ec-

quis

quis enim illum æſtimatorem appellet æquum, qui de luto variè formando perquàm ſeriò, & de auro conflando perfunctoriè cogitat, cùm ei liberum ſit, ingentem luti, vel puri auri vim pari labore congerere? Aulicis permultis animi cultura fortuitò ſuccedit, dum confeſſarium modò hunc, modò illum adeunt, neque inuenire ſatagunt virum rei bene conſultum, cui ſtatus, vitæque totius rationem exponant, & cuius conſilio negotia gerant, moreſq; reformét. Porrò conſilium hoc de magiſtri delectu capita omnia ad vitam piè inſtituendam requiſita complectitur, vt patet ex appoſitis ad interrogata reſponſis, ac velut totidem oraculis, quæ diuina luce affulgente redduntur, ob

animi demiſſionem, qua poſtulătur, Quapropter, qui multiplices vitare laqueos, implexa diſſoluere, per viam tutam incedere, merita cumulare, conſcientiaq́; pacata vitam in caſto Dei timore, amoreq́; ducere optat; ſe ipſum velut nauem in media procella dirigédam idoneo nauiculario credat, ne fluctibus negotiorum conuerberatus, repentinoq́; aliquo vortice correptus intereat. Etenim exploratum eſt, monitum hoc à paucis aliquot omni exceptione maioribus obſeruari: neſcio autem cur à tam multis reſpuatur, quos oporteret non eſſe ſuæ ſalutis immemores. Cæterùm Matt:7. *Arcta via eſt, quæ ducit ad vitam*, quam proinde à paucis percurri, minimè ambigendum eſt.

Consilium XI. De spiritualibus exercitiis.

SOlent pij, ac timorati aulici assuescere quotidie spiritualibus exercitijs in ordinem redactis, & statui suo attemperatis, quæ à perito Confessario præscribuntur. Nos in principum instructione nuper in lucem edita exercitia pauca, selectaq; posuimus, quibus aulici, si placeat, vti poterunt, in quibus attentio mentis, tener affectus, & perseuerantia commendatur.

PRÆFATIO IN Tertiam Partem.

SÆpe cum viris planè grauiſsimis de internis virtutũ actibus diſſerui, expendiq́; quàm ſint ad animæ ſalutem appoſiti. Cæterùm non ſatis fuerit, de re tanta verba feciſſe, cùm pateat, non eſſe vſque adeò multos, qui actus illos frequentent, vel certè norint, qua ratione producendi ſint. Hac ergo de cauſa, eos ſeorſim è noſtra inſtructione nouitiorum excerptos hac tertia parte tradere conſtitui, vt ſectatores curiæ actuum ipſorum forma, facilitate, ac ſuauitate allecti, eos in mediis aulis, in plateis, in vijs taciti exercere aſſueſcant. Quibus præſertim commendo quatuor fidei, ſpei, amoris, & contritionis capita, quibus ad euentus varios, ſed ad ſupremum præcipuè mortis agonem animus ar-

matur: quæ me ratio impulit, vt in arte noſtra bene moriendi, ea quatuor capita fusè perſequerer.

Præmoneo hîc non ſat eſſe, ad veros actus virtutum producendos eos, vti iacent, mente concipere, crebroq́; repetere; ſed opus eſſe, affectum excitare, vt verbis ore prolatis, intuſué conceptis animus generosè conſentiat.

PARS TERTIA DE VIRTVTVM ACTIBVS INTERNIS.

Actus Fidei. Cap: I.

AVCTOR Fidei Iesu Christe, firmissimè credo, vera esse õnia, quæ te reuelante credit Sancta Mater Ecclesia: & pro assertione hac libenter moriar.

Impossibile est, veracissime Domine, aliquid falsum Ecclesiæ tuæ à te reuelari: quod morte testabor.

Omnino verum est, tres esse sanctissimæ Trinitatis in vna diuinitate personas: pro qua

veritate occumbere desidero.

Verum est profectò, clementissime Domine Iesu Christe, te Deum & hominem, sed vnam tantùm personam esse: atque vtinam pro hoc asserto dirissimè comburar.

Certè verum est, te clementissime Domine Iesu Christe, Deum & hominem perfectum in Sacramento altaris existere: quod ego per medios gladios, & ignes profitebor.

Actus Spei. CAP: II.

CLementissime Deus, firmissimè spero, me tandem ex auxilio tuo, & bonis operibus gratia tua præstitis, gloria sempiterna fruiturum.

Tametsi grauissima peccata commiserim, liberalissime Do

mine, proculdubiò veniam indulgebis.

Quamuis ad horas singulas in multas culpas deformiter labar, certè Christianam perfectionem, te iuuante parabo.

Etiam si licenter nimis grauiora peccata perpetrarem, tu, mitissime Iesu Christe, educeres me de lacu miseriæ.

Quanquam solus ego peccatorum omnium, quæ ab ineunte mundo commissa fuere, reus essem, tu benignissime Deus, libenter ignosceres.

Spero equidem, tuo munere, misericordissime Domine, omnem à me vitæ huius difficultatem superandam, & in terra viuentiũ me semper victurum.

Si consistant aduersum me castra, & exurgat contra me prœlium extremum, ac inferni

portis videar propinquare, adhuc misericordiam tuam magnam expectabo.

Actus amoris Dei. CAP: III.

DVlcissime Deus, oro te, vt cordis mei principatum, geras,

Amantissime Domine, sacrifico tibi præcordia mea.

Optatissimum bonum meum absit, vt aliquid amē, præter te.

Suauissime Deus' animæ meæ, te solum quæro patrimonium meum.

Amabilissime auctor vitæ meæ, sacrifico tibi viscera mea.

Speciosissime supra omnem mundi pulchritudinem, vre me incendio decoris tui.

Serenissime princeps cordis mei, trahe me post te.

Nolo rex forma præſtantiſſi me aliam hæreditatem, niſi te.

Diſcedant à me, ſplendor illuſtriſſime animæ meæ, affectus omnes peregrini, vt totis viſceribus requiram te.

Viue potentiſſime Imperator cordis mei, & dominare ſicut decet te.

Sede, excelſiſſime Domine, in æterna ſede Maieſtatis tuæ.

Bene eſt, opulentiſſime Deus viſcerum meorum, vt ſis feliciſſimus intra te.

Placet mihi certè, ſempiterne rex, vt regnes in æternum & vltra.

Vtinam puriſſime ſplendor cordis mei, poſſem ſubdere tibi omnia colla filiorum Adæ, vt requirerent ſolam pulchritudinem tuam.

Vtinam innumera millia

cordium, quotquot tibi placuere, vel placere poſſunt, ipſe poſſiderem, vt immẽſis tui deſiderijs æſtuarem.

Da mihi dulciſſime Deus, vt nihil mihi placeat, præter decorem tuum.

Actus Amoris proximi.
CAP: IV.

VTinam, Clementiſſime Deus, peccatores reſipiſcant, & requirant te.

Fac, Domine benigniſſime, vt qui Eccleſiam oppugnant, ſe dedant Vicario tuo.

Per viſcera miſericordiæ tuæ obſecro te, vt qui terrenas dignitates ambiunt, potiùs aſpirent ad te.

Conuertantur, precor te, mitiſſime Deus, quos voluptas carnis illexit.

Fac amantissime Domine, vt auari omnes affectum diuitiarum traducant ad lucra dilectionis tuæ.

Actus Contritionis. Cap: V.

Misericordissime Deus, detestor peccata mea propter te, ac decerno potiùs interire, quàm in posterum peccare.

Clementissime Domine, iniquitatem meam, quia tibi soli peccaui; odio habeo, & abominor: legem autem tuam diligere, nec vllo modo transgredi propono.

Execror, mitissime Deus, peccata mea, quia tibi displicent, & vindictam de illis pro te sumere statuo.

Vtinam, benignissime Domine, priùs occubuissem, quàm

peccassem: potiùs moriar, quàm te leuiter offendam.

Displicet mihi valde peccatum meum, dulcissime Deus: absit vt culpam vllam deinceps admittam.

O suauissime Deus, quis posset peccata præterita proprio cruore delere; pro vniuersis mundi bonis, ne venialem culpam committam.

Vtinam amantissime Deus, omnes inferni cruciatus potiùs tolerassem, quàm tibi displicuissem: potiùs gloriæ fruitione priuer, quàm te offendam.

Actus Humilitatis. Cap: VI.

Mitissime Iesu Christe, profiteor coram te, esse me vniuersorum hominum vilissimum.

Nemo est, benignissime Do-

mine, tam tibi ingratus, & infidelis, ac ego.

Latrones ipsi, & sacrilegi, ô misericordissime Domine, perfectiùs tibi famularentur, si eos, ac me, tot, & tantis beneficijs affecisses.

Nihil noui, neque amo, clementissime Domine, nisi terram: & propterea non sum dignus aspicere cælum, nedum ingredi.

Animalia omnia, pro captu suo, Domine, tibi appropinquant: solus ego infinita vitæ meæ turpitudine à te recedo.

Deformior certè sum, Domine, ob culpas meas, omnibus leprosis, & vlcerosis, qui sanie fluunt.

Profectò, piissime Deus, ego deberem in sterquilinio iacere, à cæterorum hominum conui-

ctu ſequeſtratus, ne illos peccatorum contagijs inquinarem.

Abſit à me Domine, vt velim ambulare in magnis, vel mirabilibus ſuper me.

Vtinam, æquiſſime Deus, vniuerſi homines cognoſcerẽt vilitatem meam, & deſpicerent me.

Vtinam multis ignominijs exprobrarent mihi homines indignitatem meam, Domine, vt ſpernerer propter te.

Actus Manſuetudinis. *Cap: VII.*

MAnſuetiſſime Ieſu Chriſte, certiſſimè ſtatuo, quoties læſus fuero, me quaſi agnũ coram tondente futurum.

Dulciſſime Domine, ſi pungar, & importunè tenter, dono tuo, læſoribus arridebo.

Suauiſſime Deus, etiam ſi ex-polier, ac cædar ab inferiore, quouis, amoris ſigna exhibebo.

Clementiſſime Domine, abſit à me, vt ob vllum damnum, contra amabilliſſimosque proximos meos excandeſcam.

Mitiſſime fili Dei, ſi quis me tentauerit, lætabor ſuper exercitia illa, ſicut qui inuenit ſpolia multa.

Benigniſſime Domine, ſi quando vexatus à proximo fuero, obliuiſcar mei, & compatiar illi propter te.

Actus Abſtinentiæ. Cap: VIII.

TEmperantiſſime Ieſu Chriſte, decerno, eſca, & potu eò tantum vti, vt natura ad ſeruiendum tibi conſiſtat.

Nolo, mitiſſime Domine, vllam in menſa voluptatem percipere.

Abſit à me Domine, vt lauta vel vllo modo palato ſuauia quæram.

Vellem dulciſſime Deus, vt omnia, quæ ſumpturus ſum, abſynthiũ ſaperent, propter te.

Propono amantiſſime Domine, cor à menſa ſubtrahere, ac lectioni ſacræ admouere.

Propono, Domine, corpus fame, ac ſiti vexare propter te.

Vtinam, benigniſſime Ieſu Chriſte, felle quod guſtaſti, omnia mea prandia condiantur.

Actus Caſtitatis. Cap: IX.

PVriſſime, ac amore toto digniſſime Deus, conſtituo ab omni oblectatione abſtinere propter te.

Caſtiſſime fili Virginis, etſi abſque culpa, omnibus carnis voluptatibus, quas homines af-

fectant, frui possem; me ab eis vigilantissimè continerem.

Candidissime Deus, cordis mei, non modò carnis delectationes respuo; sed imagines quoq; formosorum corporum concipere nollem.

Amabilissime Iesu Christe, pango fœdus cum oculis meis, me rerum corporearũ elegantiam non intuiturum.

Suauissime decor animæ meæ, certò scias, me à rebus corporeis, nec tactu, nec auditu, nec aspectu, nec alio modo (quoad mea fragilitas feret) vllam oblectationem percepturum.

Dulcissime Domine, non tantùm oblectamenta carnis, non recipiam; sed quod ad me attinet, neque spiritus delectationes requiram.

Actus Patientiæ. CAP: X.

PAtientiſſime Ieſu Chriſte, quicquid laboris mihi vnquam acciderit, propter te patienter feram.

Clementiſſime Deus, ſi tentationibus exercear, pectus firmum opponam.

Benigniſſime Domine, ſi tartarus deſæuiat, conſtãter ictus excipiam.

Dulciſſime Deus, ſi mœror importunus ingruat, nulla ratione me deijci feram.

Amantiſſime Ieſu Chriſte, ſi morbi ſubeant, omnia tædia, dolores, anxietates fortiter exhauriam.

Suauiſſime Deus, ſi totius corporis contritio, membrorũ diuiſio, ignis, & quæuis aeria tormenta inferantur, inuictè conſtabo.

Optatissime Deus, si hominum mores aduersi, & fastidia molestissima contingant, pacata mente consistam.

Iucundissime Iesu Christe, si me ariditate, diuturnaq́; repulsa exerceas, libenter pœnam amplectar.

Actus Gratitudinis. CAP: XI.

DVlcissime Deus, habeo tibi gratiam, pro immensis tum naturalibus, tum supernaturalibus bonis, quibus me semper cumulas.

Misericordissime Domine, quid tibi pro creatione, conseruatione, redemptione, iustificatione, præseruatione, auxiliis, inspirationibus, reddam?

Amantissime Domine, quid pro malis, quæ non committo, rependam, cùm tot sint bene-

ficia, quot in mundo perpetran tur peccata?

Benignissime Domine, quid pro bonis operibus, verbis, cogitationibus te donante, à me conceptis, & præstitis referam? Quippe, qui nisi te largiente nihil boni cogitarem?

Optatissime Deus, hac ipsa hora, vt cõmerui; flammis inferni comburerer, & beneficio tuo liberatus sum: quid ergo tibi retribuam?

Liberalissime Domine, contulisti in me ius hæreditatis æternæ (vt spero) quid agam?

Fidelissime Deus, prouidisti sacramenta, verbi tui pastum, consilia, solatia, & alia multa, quibus adiuuer, vt ad te citiùs, commodiusque perueniam: quid respondebo?

Reddo tibi Domine cor me-

um: offero viscera mea: sacrifico tibi in hostiam laudis præcordia mea.

Vtinam, amabilissime Deus, vniuersa, & Angelorum,& Sanctorum, & quotquot in vniuerso mundo tibi placent, filij præsertim tui Vnigeniti, ac matris eius corda possiderem, quæ tibi gratissimo affectu consecrarem.

Quo pacto possum, dulcissime Domine, Iesum Christum Redemptorem meum, ac Beatissimam Virginem, & omnes Angelorum Hierarchias,& Beatorum, reliquorumq; iustorũ animas, quas rogo mihi ad gratitudinem sociari, tibi pro beneficijs reddo.

Actus Magnanimitatis. CAP: XII.

EXcellentiſſime Deus, quem ſine cordis erectione non poſſum attingere, cupio Apoſtolicas virtutes comparare.

Imprime, fortiſſime Deus, robur magnum cordi meo, deſidero enim hęroicos virtutum actus producere, propter te.

Deſpicio, altiſſime Domine, omnes mundi honores, & faſtus calco, vt ſupra mundum extollar ad te.

Vtinam, potentiſſime Deus, vniuerſam mundi claritatem, & famam nunc haberem, non vt poſſiderem, ſed vt contemnerem propter te.

Opto, Domine, Iob patientiam aſſequi.

Vtinam te more Pauli diligerem.

Vtinam me, ſicut Magdalenam, peccatorum meorum pęniteret.

Certè, clementissime Deus, daturus sum operam, vt angelico more in terris viuam.

Conabor, Domine, occasionem pro te martyrium subeundi perquirere.

Quoties quid arduum in cultu virtutum occurret, ego, dulcissime Deus, me offeram pugnaturum propter te.

Absit à me, Domine, vt animum despondeam à Christiana perfectione comparanda.

In mandatis tuis excellenter exercebor, & considerabo vias tuas: In iustificationibus tuis intétissimo corde meditabor: non obliuiscar sermones tuos.

Actus Perseuerantiæ. Cap: XIII.

CLementissime Deus, firmissimè statuo, me vsq; ad mortem tibi famulaturum.

Fideliſſime Domine, ſi per annos mille, in hac vita moleſtiſſima laborandum eſſet, à propoſito tibi vacandi, non deſiſterem.

Miſericordiſſime Deus, abſit à me vt ob vllam aduerſitatem conſilium mutem.

Potiùs, amantiſſime Domine, vri me ſinam, quàm ab inſtituto deſiſtam.

Et ſi oporteret, benigniſſime Deus, vniuerſis mundi miſerijs obrui, nunquam à tuo famulatu recederem.

Vtinam, deſideratiſſime Domine, moriar, antequam à te recedam.

Mihi certè adhærere tibi, Domine, bonum eſt: propterеà perenniter adhærebo.

Donec intereſt halitus in me, à te, ô ſummum bonum meum, non diuellar,

Meditatio de agone mortis.

CAP: XIV.

MOrtis meditatio curiæ sectatoribus pernecessaria est, ad animum in officio continendum, mundique vanitatem aspernandã. Capitur quippe animus aspectabili rerum grandium splendore, ac pulchritudine, voluptateq; sensim illabente delinitus ita seducitur, ac si diutissimè in ipsa mortalitate victurus esset. Mortem longissimè absistentem suspicatur, tametsi validam iuuentutem quotidiano funere cernat efferri: quocirca mortis spiculum tanquàm procul dissitum malum minimè formidat, quod est miserrimæ cæcitatis argumentum. Taurus pinguis, ac vegetus licenter prata pererrat, prohibitaque pabula

carpit;

carpit: qui si proximam securim præsagiret, lasciuiam, ferociamq́; compesceret. Consideret ergo aulicus, qui in aula, velut in peramœno loco versatur, se breui, velit, nolit, interiturum, piaq́; meditatione horrendum agonem sibi ipsi repræsentet, ne improuisus interitus imparatum, inermemq́ue corripiat. Cogitet se iam penè animam efflantem, desperata mortali vita, & temporali gloria, quam studiosissimè perquisiuit. Quid rogo, tunc sentiet de labore improbo, & sæcularibus curis, quibus se ipsum torsit, vt fugacissimam bonorum fluxorum vmbram apprehenderet?

§. 2.

INgrauescit morbus, morientiq́ue ob oculos versatur mœ-

ſtum diuortium, quo ab ijs, quę vehementer amauerat, inuitus diuellitur. Cogitarat ille de horreo implendo, & opibus ad annos multos cōgerendis: videturq́; ſibi vocem tremendam audire, Luc: 12. *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quę autem paraſti, cuius erunt?* Non omnes capiunt verbum hoc, quia plurimi forma mundi eleganter picta capti malunt diuinis inſpirationibus aures cordis obturare, quàm fallaci voluptate carere. Quapropter vitam ducunt ſordidam, & multis notis infamem calice Babylonis temulenti, ad ictum denique mortis euigilaturi. Non placet conſilium hoc acerrimo dolore repenſandum. Salubrius conſilium eſt, alta mortis præmeditatione dum tempus

suppetit, propulsare, illa, quæ imperiosè mors ablatura est; vt liber animus in supremo agone ad Deum feratur, & pro æterna salute, validè cum sæuissimo humani generis hoste concertet.

§. 3.

GRauiter afficitur appetente interitu corpus leuissimę incommoditatis impatiens, & voluptatibus assuetum: Cæterum grauius infestatur anima præteritorum scelerum cõscia, quæ ad Tribunal accersitur. Occurrunt nolenti funestissima spectacula, hinc peccata commissa velut totidem dracones venenum spirantes, inde dæmones ad prædam auidissimè intenti tartareum timorem incutientes aliunde imminens

Christi iudicium velut ensis è filo pendens ad ictum. Quid rogo, tunc aget, quem conscientia vitæ turpiter actæ diuexat? Quò se vertet, qui quamdiu potuit, noluit seriò ad Deum conuerti?

§. 4.

PRofectò anima, quæ tempestiuè resipiscere noluit, incredibili metu contrahitur, mortiferaque desperatione decumbit. Vrgetur ad exitum, & ipsa validissimè renititur. Neque mirum: Si enim anima Hilarionis, quæ septuaginta ferè annis, Christo fidissimè paruerat, exitum formidabat, quid non timebit anima, quæ totidem annis, re vera, seu voto, Christi iugum excussit, & horrendam inferorum pœnam

teterrimis ſceleribus exaggerauit?

§ 5.

BAlthaſar rex Chaldæus, ſtatim ac vidit illam, quaſi manum, quæ mortis ſententiã in ſuperficie parietis aulæ ſcribebat, licet neſciret, q̄d ſibi vellet, timore maximo correptus eſt, quem in hæc verba ſctiptura deſcripſit, Dan: 8. *Tunc facies regis commutata eſt, & cogitationes eius conturbabant eum: & compages renum eius ſoluebantur, & genua eius ad ſe inuicem collidebãtur.* Si ergo ſententia mortis in pariete ſcripta nec intellecta hominem, in medio lautiſſimo conuiuio proſperè valentem, adeò grauiter afflixit; quid efficiet ſententia exarata in ipſa conſcientia hominis ægroti,

qui certò nouit se mortem sempiternam commeruisse, neque de remedio cogitasse, iamq; luendæ pœnæ tẽpus imminere?

§ 6.

NEmo adeò ferus est, qui non mitesceret, si tremendam horam illam, in qua profertur æternæ vitæ, mortisué sententia, semel experiretur. Columnæ ferreæ contremiscerent, & duriora saxis corda liquescerent. Quis enim non ageret seriam pœnitentiam, si temp⁹ vitæ prorogaretur, cùm sciret, se diuina clementia tartareum carcerem euasisse, ea ipsa hora, qua æterno anathemate erat à Christo separãdus, & pertrahendus ad flammam? Verùm constitutum est hominibus semel mori, neque conceditur

ceditur niſi ſemel horrendam horã experiri: quapropter accuratæ meditationis remedio frequenter vti debet, qui ſapiens eſſe, & feliciter defungi deſiderat.

§ 7.

VIri pijſſimi ſe in antra deuia, vel in clauſtra monachorum abdunt, vt mortis horam præmeditentur, & multiplici virtutum armatura ſe muniunt, mortiſq; agonem quotidie ſibi repręſentant, velut ſtrenui milites, qui ad bellum præuijs belli ſimulachris, ſe ipſos exercent: & tamen mundi adoratores, qui horam illã magis formidare deberent, nõ modò ſe non præmuniunt, ſed ne mortis nomen ſibi ſuggeri æquo animo ferunt. Quinetiã

eò

eò ſtultitia prolabitur, vt de ſummo ipſo mortis diſcrimine moneri nolint, inſtante iam interitu, &, vt prudenter conijcitur, ipſo etiam inferorum incendio. Ergone credendũ eſt, viros Chriſtianos eò vſq; inſanire? Quomodo de ſeria ad Deum conuerſione aget, qui fert indignè ſe de hora ſuprema, qua Deus placãdus eſſet, admoneri? Abſit à pijs lectoribus amentia hæc, qua nihil poſſit calamitoſius excogitari. Tempus anteuertant, & appoſitis, crebriſq; meditationib⁹ ſe ad prælium comparent, vt exantlato mortis labore, victoriã de hoſte reportent, ſummoq; ac ſempiterno bono perfruantur.

F I N I S.

CRACOVIÆ,
In Officina Andreæ Petricouij,
S. R. M. Typographi. Anno
Dñi, 1614.